

si præfixus fuerit numerus Religiosorum sufficiens ad obser-
 vantiam regularis disciplina, & idcirco in suppressione an-
 tedita non fuerint comprehensi, nihilominus, sive ob red-
 dituum diminutionem, sive ob Superiorum incuriam, vel
 malam administrationem, sive ob carentiam Religiosorum,
 aut aeris intemperiem, vel quamcumque aliam ob causam,
 prædictus numerus cum effectu in eis non alitur, cum gra-
 vi detrimento regularis observantia: Sanctitas Sua in-
 tendens huic malo remedium adhibere, omnes & singulos
 ejusmodi Conventus, ut præfertur, non suppressos, cujus-
 cumque sive Ordinis, tam Mendicantium, quam non
 Mendicantium, Congregationis, & Instituti, etiam So-
 cietatis Jesu, aut Grancia, seu membra alterius mona-
 sterii, existentes intra fines Italiae, & Insularum adja-
 centium, in quibus nunc non aluntur, vel quandocumque
 actu non alantur, saltem sex Religiosi itidem probata vitæ,
 quorum adminus quatuor, ut supra, sint Sacerdotes, ma-
 tura ætatis, eidem visitationi, correctioni, & omnimodæ
 jurisdictioni, Ordinarii loci, similiter ut Sedis Apostolicæ
 Delegati, plenè in omnibus, præsentis pariter decreti vigo-
 ri, subiectos esse statuit, & declaravit.

Ceterum quoad Conventus cum pauciori numero quam
 12. Religiosorum erectos, post diem 21. Junii 1625., & il-
 lorum subjectionem loci Ordinario S.S. voluit in suo robore
 permanere decretum s. m. Urbani VIII. jussu editum, cui
 per præmissa aliquatenus derogare non intendit.

Et prædicta omnia, & singula in præsentis decreto sta-
 tuta, & ordinata, voluit plenarium sortiri effectum, &
 executioni mandari, non obstantibus omnibus & singulis,
 quæ in dicta Constitutione voluit non obstare, cæterisque
 contrariis quibuscumque: Datum Romæ, die 10. Februarii,
 1654. B. Card. Spada, Prosper Fagnanus Sac. Congreg.
 Secretarius.